



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Chronicon Montis-Sereni Sive Lavterbergense**

**Mader, Joachim Johann**

**Helmeſtadi, 1665**

Fvndatio Monasterii Althe.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11088**

## DE ANDECHS.

Temporibus *Adriani* Papæ hujus nominis I. *Desiderius* Rex Longobardorum perturbavit Ecclesiam Romanam, contra quem *Carolus Magnus* rogatu Papæ processit, belloque vicit. Hujus *Desiderii* filiam habuit uxorem *TASSILO* dux potens *Bavariæ* ideo & ipsum focerum suum *Desiderium* Regē juvit cum *Hunis* & aliis infidelibus contra *Carolum*. Vide inter hæc *Distinct. LXIII. c. Adrianus*. Porro *Carolus* capto *Desiderio Thassilonem* Ducem *Bavariæ* consanguineum suum (ni fallor patruus *Caroli* erat) privavit ducatu & intrusit eum ad monasterium inferioris *Alach*, una cum filio suo, quod ipse cum patre suo seniore *Thassilone* fundaverat: proinde *Carolus Magnus Pipino* filio suo commisit Ducatum *Bavariæ*, &c. Ex illo *Pipino* orta est stirps illa nobilis & vetus Comitum & Principum de *Andechs*, quorum castrum fuit inexpugnabile, ubi nunc est monasterium nostri ordinis dictum *Andechs*, sive MONS SANCTVS, vulgo *der Heiligeberg*. Ex dicta progenie sancti & viri & mulieres complures per successum temporis exorti sunt & nati, quorum præstantiores sunt: *Conradus* Episcopus *Constantiensis*, *S. Henricus* Cæsar *Babenbergensis*, *S. Elisabeth* Lantgravia *Düringia*, *Hedviggis* sancta, matertera *S. Elisabeth*: *Mechildis* Abbatissa in *Ottelsteten*: *S. Otto* Episcopus *Babenbergensis*, *Arnulfus* Imperator, *Eufemia* Abbatissa in *Altenmünster*, *Rasso* &c. Hæc ex *Topographia Montis Sancti* transcripsi.

FVNDATIO MONASTERII  
ALTHE.

ANNO Domini DCCXII. Pontificatus *Zachariae* Papæ sexti, monasterium *ALTHE* inferioris ex consilio *S. Birminii* *Meldensis* Episcopi, ab *Otilone* Duce, in honore *S.*

*Mitt-*



*Mauritii*, sub monachica professione construitur. In hoc monasterio *S. Godhardus* Episcopus Hildesheimensis est factus monachus, qui ex familia istius Ecclesiæ natus & ibi nutritus ac sacris literis imbutus. Vide latius in *Legenda* ipsius.

*In eadem Chronica sic continetur*: Anno Domini *mcxxxiii*. fundatum est monasterium *ALTACH* superius, tempore *Honorii PP. ii.* & libertati traditur à *Friderico* Ratisbonensis Ecclesiæ Advocato, de consensu conjugis suæ & filiorum.

*In alia Chronica, quæ habetur Ratispona ad S. Emmeranum, ita habetur*: *Thasilo* Dux *Bavariæ*, filius *Ozilonis* & *Hillerudis*, quæ fuit soror *Pipini* Regis, patris *Caroli Magni*. Fuit autem *Ozilo* primum Rex, postea vero *Bavaria* in provinciam redacta Dux, & fundavit monasterium *Inferioris Alach*. *Thasilo* prædictus filius *Ozilonis*, monasterio *Inferioris Althe* plura prædia dedit: item *Pataviam* civitatem *Bavariæ* renovat & instaurat, & Episcopatus sedem, quæ apud *Laureacum*, priusquam ab *Hunis* everteretur, fuerat, inibi instituit. Denique in *Choro* monasterii in *Weltenburg* subscripti rithmi habentur:

*Thasilo Dux Bavaria,*

*Fundator hujus Ecclesie,*

*Sex struxit in Bavaria,*

*Thasilo monasteria.*

*Waltenburg, Lorsheim, Cremmonster,*

*Wessenprun & Pfaffenmünster.*

Item fundavit monasterium *Marze* in honore *S. Michaelis* Archangeli. Item *Mansee* quoque monasterium construxit, & *Ensdorff*. De foundationibus monasteriorum ab *Ozilone* & *Thasilone* grandis est diversitas, & potissimum de duobus *ALTA*. Ego in dictis monasteriis non fui, sed quæ posui transcripsi ex quadam collecta *Cronicula* in *Ratispona*



pona ad *S. Emeranum*. Quare & ego vehementer dubito de dictis, quoniam topographias & originales dictorum non vidicœnobiorum. Quin imo & nomina confusa sunt & transposita, ut plerumque filius ponatur pro patre, & pater pro filio; videlicet *Thasilo* pro *Ozilone*, & è diverso.

*Sane & alio quodam in libro sic exaratum comperi*: *Otilo* prius Rex, post, *Bavaria* in provinciam redacta, Dux, *Alzha* monasterium fundavit ex suo allodio, & sepultus est cum uxore sua in *Osterhoven*, quod nobilissimum monasterium sub regula *S. Benedicti* egregie satis Dux ipse construxerat. Legi etiam ut supra, quod filius ipsius *Thasilo* Dei amore seculum reliquerit, & monasterium *Lorsheim* intravit, & in eodem religiosissime vixit, & tandem beate obiit. Legitur nihilo tamen minus & aliter in quibusdam Chronicis, & *Lupoldus* similiter refert in Epitomate de rebus Germanorum veterum quod *Thasilo* ob rebellionem & inobedientiam ab *Carolo Magno* una cum filio suo *Theodone* in monasterium trusus sit & in monachum tonsoratus, & hoc ex gratia, alioqui mortis sententiam non evasisset. Cæterum & hanc dubitationem auget, quoniam non unus tantum, verum plures, & ad minus duo *Thasilones* fuerunt.

---

FVNDATIO MONASTERII MONTIS  
S. PETRI PROPE *Rosenheim*.

**A**Nno Domini MCVII. *Bertholdus* nobilis Comes de *Pur-geck* & *Otto* Junior Comes de *Scheurn*, qui castrum habuerunt dictum quondam *Glanc* / nunc *Vsenhoffen* / vel *Mons S. Petri*, cui castro renunciantes Monasterium in honore *S. Petri* construxerunt & fratres de *Dispachaw* ibidem collocaverunt.

Nn

FVN.